


N. J. 10












10  
QVAESTIONVM  
SCHOLASTICARVM  
PROBLEMA PRIMVM  
QVO  
ACTVM ORATORIVM

A. D. VIII. IANVAR. A. O. R. S. d**h**bcclv.  
IN AVDITORIO  
CLASSIS PRIMAE GYMNAS. HAL.  
CELEBRANDVM  
RITE INDICIT  
M. IOANNES PETRVS MILLER  
GYMNAS. RECT. ET SOCIET. DVC. HELMST. MEMBR. HONOR.



al.

HALAE SAXONVM  
AERE GEBAVERIANO.



QUESTIONVM  
SCHOLASTICARVM  
PRIMUM  
ACTVM ORATORIVM

L. A. V. H. L. A. V. A. L. A. S. C. H. O. L. A. S. T. I. C. A. R. V. M.  
I. N. A. Y. D. I. O. R. I. O.  
C. L. A. S. S. I. S. E. R. I. M. A. E. G. Y. M. N. A. S. I. A. L.  
M. I. O. A. N. N. E. S. P. E. T. R. U. S. M. I. L. L. E. R.  
G. Y. M. N. A. S. R. E. C. T. E. T. S. O. C. I. E. T. P. E. T. R. I. C. E. H. E. L. M. I. T. A. E. R. E. H. O. N. O. R.



HALLAE SAKONVM  
ABBE GERVAELIO







um multa sunt olim sapienter a Philosophis ad leniendas mortalis nostrae conditionis acerbitates suppeditata remedia; tum vero mira magnaue in hoc eorum omnium, et ipforum quidem Stoicorum existit consensio, nihil esse in fluxa hac et plena calamitatum omnis generis vita dulcius aut optabilius amicitia: si quidem, ut praeclare ait CICERO in Laelio, omnia in illa insunt, quae putant homines expetenda: honestas, gloria, tranquillitas animi atque iucunditas; ut, cum haec adsint, beata vita sit, et sine iis esse non possit. Sed quemadmodum medicos tum demum habere solemus carissimos, quum aduersa valetudo et doloris vehementia salutarem ipforum opem efflagitant: ita etiam amicis nullo alio tempore difficilius caremus, quam si omnis alia abest oblectatio. Quare, nescio, an non verissime dici possit, nullum aliud tempus in gignendis amicis hiemis illo esse felicius, eo ipso videlicet, quod nos omnes de sterilitate aerisque inclementia gravissime accusare solemus. In agris certe verno tempore mira florum varietate ornatis, aut aestate frugum ubertate laetis, iuvat interdum solum versari, quo his nimirum magnificis divinae sapientiae liberalitatisque inexhaustae praeconibus liberius vacare possis: in hieme contra, quotusquisque est libellis suis adeo affixus, cui non solitudinis interdum taedium obrepserit. Omnis iam abiit gratia de terrarum orbis illustri scena, ipsumque illud solis lumen paene extinctum esse videtur. Squalet moerore aer, luggetellus, silet silva, conticuit labens cum murmure rivus. Non Philomele,

Progr. II.

A 2

lomele,



lomele, non alauda, non alia quaecunque avicula humanae alias laudis delectationisque studiosissima apparet; nulla, quae ex urbano strepitu fessas aures recreet: nulla, quae curas abigat, adest. Ipse hortulus, tanto studio, tantisque sudoribus ornatus, dulces odores negat: abest vernans ille viror, oculorum deliciae: perierunt roris istae in gramine et flosculis gemmulae: negant arbores exquisitas illas fruges. Ut adeo in ista orbitate, et luctu ipsam domini praesentiam fastidire videatur hortus et umbraculum, exoptatum illud ex curarum contentione asyllum. Antea Zephyris, molliter ludentibus patebat, iam Aquilonis irruptionibus horridis liberum permittit transitum. Adeo ad homines nunc trudit hominem ea, quae miris blanditiis ad se pellexerat, divinarum laudum praeco natura; quasi vero non DEO tantum, sed quo is carius in omni ista universitate nihil habet, homini nos conciliatura. Hanc igitur et ego ducem, quod Stoici praecipiebant, sequutus, superiori hieme ad amicum quemdam, quo non est fidior Acharis, confugi, ne qua prorsus scilicet inter longiora ista noctis solitudinisque silentia obmutescerem, eumque sedentem ad focum, desumque in libro, quem manibus tenebat, offendi. Saluto amicum, sed paucis: odiosa enim est in amicitia omnis pompa: complector, quod solent familiares. Hem! Frigidus ad haec omnia: non manum, non pedem, ne oculum quidem movet. Miror hominis torporem, quem, si alias vidisses, vitam ipsam dixisses, quemadmodum spirantem bibliothecam, si disputantem de re quapiam. Discessum igitur, qui nulli amicorum molestus esse volo, honestissime paro. At ille, quasi ex dulci isto somnio ad se iterum reversus, arrepta mea repente manu retrahere me et increpare etiam, quod morae omnis impatiens, neglecta urbanitate, hospite vix a limine salutato, sim discessurus. Ut aegre ferimus indignam censuram, ita ego meo jure, at tu, inquam, Catonis alicujus vitam legisse mihi videris, adeo ad severitatem composita in te sunt omnia. Quid sibi vult nubila ista frons? Quid minax vultus? Quid? - - Ad haec ille, comiter subridens, (solent enim fere amantium irae hunc habere tristioris fabulae exitum) tu vero, ait, nihil revereris mitissimi et politissimi ingenii praesentiam: quin tu huc mecum affideas ad focum. Adest focus, cujus vel muri adspexeris te plura docebit ad omnem vitae statum accommodata, quam sexcenti alii de nostris hominibus vocalissimis, qui Anglice, Gallice, Italice de quibusvis rebus, et de Epicuri etiam intermundiis sunt disputaturi. Novus et mirabilis prorsus videbatur sermo Laelii mei, metuebamque,

ne



ne ex carbonum vaporibus vitii aliquid contraxerit cerebrum lepidissimum, aut factum calore isto sopitum, somnia vigilans vigilantem narret. Ad extremum, oculos circumfero, visurus, num forte M. CVRRI, ligneo carillo ad focum coenantis, Romanaeque sobrietatis exempli, imaginem pictam deprehenderem alicubi. Quod dum ille animadvertit, MELANCHTHON adest, iucundissimus homo, cujus ingenio ne Gratiae quidem mitius aut amabilius fingerent: hunc enim ita depereo, ut certum sit, non prius dimittere iterum ex manibus, (tenebat autem vitam eius a Camerario expositam) quam totus in mores eius fuerim mutatus meique factus dissimilis. Quin tu, si me, aut potius te ipsum amas, omnes istos tuos abiicito, et in hoc unum omnis verae laudis exemplum, quasi in speculum, assidue inspicio. Quae cum stupens audirem, Laeliusne meus esset, an umbra novi hominis, amici specie mentita illudentis mihi perulantius, addubitabam. His enim ferre mos est, vetera omnia contemnere et, quae nostra tulit aeras, ea vero ceteris omnibus anteferre. Quare, adeone totus a te tam subito discessisti, inquam, ut, quos paullo ante ingenii exornandi comendaeque orationis solos diceres magistros, veteres, hos iam deferendos putes? Vide, ne hoc parum istam gravitatem tuam deceat, tam subito in alia omnia abire, et, quos tibi uni tutandos paullo ante commississemus, hos ipsos iam quidem opprimere. Quod quidem consilium si serio agitas, ut videris, habebis me adversarium, non valde eum quidem tibi metuendum: facile enim ingenio vinces et doctrina; sed pertinacem tamen et Achille pugnaciorem. Scis enim provinciam, cui praesum, id officii mihi imperare, ut Romanorum ac Graecorum honori numquam desim, praesertim hac aetate, in qua vetera saeculo nostro sordent omnia. Fac igitur, clare intelligam, quid insidiarum lateat in animo, ut occurrere periculo cum commilitonibus hasta clypeoque instructus, queam. Expone sententiam, et deinde, nisi grave est, more nostro, meam mentem explicabo. Est vero jam multa nox. Paucis igitur erit philosophandum, neque somnus nugis meis homini laboriosissimo aut quies suffuranda. Quae cum dixissem, Laelius molliter manu mea prehensa, ut est homo blandissimus, sic est exorsus: Nihil est, quod rei tuae, a me praesertim, imbelli homine et natura ignavo, metuas. Neque enim umquam sum facturus, ut Grammaticorum, (nostri bellicosissimum hominum genus) iras in me quasi crabronum concitem, quos non sum nescius, pro veterum istorum existimatione, tamquam pro communi Graeciae salute, pugna-



citer decertare. Quare, ne perperam de me sentias, sic habeto. Regnet in Latio vestro **TULLIVS**, optimus ingenii perpoliendi magister: fit perpetuus dictator **CAESAR** agatque triumphos de barbarie. Versetur a juvenibus diurna nocturnaue manu decorae venustatis exemplum, **NEPOS**: sint in summo pretio alii, qui, ut Roma olim rerum gestarum magnitudine omnes gentes superavit, ita ingenii gloria omnes antecellunt, qui scribendo famam nominis sunt atquam consequuti. At, id male me habet, quod, dum veteribus istis omne nostrum tempus et studium tribuimus, eos, quos patria et communia sacra nobiscum coniunxerunt, plane ut **Bayios** **Mevios**que negligamus, quasi ad nos aut prorsus non pertinerent, aut frustra tot ingenii animique virtutibus a **DEO** fuissent ornati. Sed solemus fere Germani, quae ad manus sunt et inter nos nata, contemnere, peregrina vero omnia et remota miris studiis ac laboribus consecrari. Obscurius fortassis et latius haec dicta videbuntur. Dicam ergo, quid velim, apertius atque expressius. Quid enim haesito, quid ambages quaero? Optarim ego quidem, ut in scholis vestris cum Romanarum rerum illis elegantissimis scriptoribus nostri etiam historici conjungerentur. Habes tribus verbis novam haeresin, quam cave in vulgus spargas. Excussum sit in amici sinum, quidquid me diu urebat intus. Ne igitur intempestive enuntia. Creditum esto initiato. Sed iam res serio agenda, dicendaque est causa, et ut ea possit, brevissime quidem.

Tractatis veteres illos scriptores in scholis, certe non ideo, quod veteres sunt, sed quia maximae utilitates ex iis percipiuntur. Nulla enim res momenti alicuius est et utilitatis in vita communi, de qua non in istis vel praecepta sapientissima existant, vel exempla, ad quae nosmet conformare ipsos possimus. Quum enim isti libri ab iis exarati sint auctoribus, qui aut excellentissimo ingenio fuerunt, aut in Graecorum Romanorumque republica maxima munera obierunt, et cum suas res, tum autem gestas ab aliis summis viris, exposuerunt: necesse est, ut eius animus optimis vitae institutis imbuatur, qui studiose eos legit, totosque devoravit. Sed ut in Geographicis ad remotissimas terras excurrimus, mariaque transmittimus, et univrsam terrarum orbem oculis nostris non minori utilitate, quam iucunditate lustramus, Europam tamen, et in hac Germaniam, singulari studio peragramus propterea, quod in hac provincia hospitem esse et turpe ducimus, et damnosum: ita etiam veterum lectio prudens et probe digesta plurimum ea quidem nobis proderit, nostras autem res prorsus neglexisse, magis



magis adhuc nocebit. Nisi forte dixeris, magis nostra interesse, scire, qua ratione Romana res publica ab exiguis initiis in tam late patens imperium sensim fuerit diffusa, quam quidem cognoscere, quemadmodum Germania, quae una tot Regibus potentissimisque Principibus fulget, ad tam sublime fastigium post varias temporum et fatorum vicissitudines sit euecta. Multa sunt, quae ex Caesaris vita in suum usum decerpere potest belli dux, multa, quae populi rector vitanda esse, ex ea sibi notabit; praeclara vicissim alia, quae, si sapiens est, imitanda censebit. Fructuosior adhuc erit Augusti, Titi, Trajani historia. Maximas autem utilitates percepturi sunt omnes, qui et sibi et civibus optime consulere volunt, si in mitiores illas virtutes intuebuntur, quas clari sub Consulibus viri, maiori honestate quam pompa exercuerunt, in illa inquam iustitiae, frugalitatis, abstinentiae, modestiae, amoris patriae, magnitudinis animi, constantiaeque exempla. Sed habet etiam nostrorum maiorum historia sua ornamenta, quibus ad perfectum splendorem nihil deest, quam Livius aut Tacitus aliquis, artifex, qui perpoliat has gemmas et oratione digna, tamquam auro et argento, latens illorum pretium oculis commendat. Exemplis facile esset dictis fidem facere, nisi putarem, supervacuum esse, et etiam arrogantiae existimarem, domestica et trita narrare homini, rerum Germanicarum omnium minime experti. An forte utilius est, ex Livio discere, qui Romana superstitio in Numa, aut publica iustitia legibus sit temperata, quam quidem a Sleidano doceri, quot laboribus et quam sapienter casta IESU CHRISTI disciplina stabilita iterum in imperio Romano per Lutherum, divinitus excitatum heroem, feliciter fuerit, quaque prudentia Maximilianus et Carolus, et qui hos exceperunt, Caesares hanc, quam nunc habet Germania, civitatis formam vastae huic, et in tot partes divisaе provinciae induerint? Dignae res sunt, aïs, omnium cognitione: at libri, in quibus Romanorum illorum arte explicentur, desiderantur. Ego vero nullus dubito, quin, quae frugum aliarum feracissima est, Germania, ob aeris temperiem et mite caelum, eadem etiam horum ingeniorum felix mater sit futura, si Augusti et Maecenates tamquam benefica sidera, nata ad patriam ornandam, ingenia quasi calore suo fovèrent atque caverent, ne latini sermonis studium in iis qui eminere super ceteros volunt, sensim frigeret. *Sint Maecenates, non deerunt Flacce, Marone.* Habebat Italia Saec. a N. C. XVI. suos Manutios, Muretos, Bembo, Sadoletos Politianos, qui ita ad veterum illorum castam venustatem accedere putantur, ut, si hos tempo-

ris



ris edacitas absumisset, facile istis jacturam hanc resarciremus. Tantum potest naturae felicitas, Principum ornamentis ad optima imitanda excitata, et honoris honestissima contentione incensa, ut, quod aetati et saeculo tribuere alias solemus, id virtuti hominum, subsidiis et beneficiis adiutae, vindicandum existimemus. Caruit quidem alma communis patria Alphonis, Ludovicis et Leonibus, caruit Medicea benignitate: at habuit tamen suos Maximilianos, habuitque certe MELANCHTHONES, qui exemplo suo nescio quem ingeniorum ardorem, sola venustae simplicitatis in scribendo gratia efficerent. Rideamus enim nostro jure, et false quidem rideamus puerilem Francogalorum et Britannorum superbiam, quibus nostra omnia levia et plumbea videntur: habemus, quibus ipsorum lumina obscuremus, REUCHLINOS, MOSELLANOS, HUTTENOS, LOTICHIOS, STURMIOS, SLEIDANOS, WOLFIOS, CAMERARIOS aliosque, qui, si fuissent a Principibus ad res nostras antiquo sermonis genere explicandas incitati, non est dubium, quin et gravissime et copiosissime id facere potuissent. Verum enim vero, inquires, fuit ista oim Germaniae felicitas, fuerunt aurea saecula, quae, quoniam dictu et incredibilia et iucunda sunt, in fabulis commodissime locum occupant. His tu igitur, quantum vis, delectare, et hoc iucundo spei errore animum pasce. Ego vero, ne prorsus desperem, efficiunt summa ingenia, SCHVYZFLERSCHIORVM, BVCHNERORVM, BERGERORVM, HEINECCIORVM, SCHWARZIORVM, SCHOEPFLINORVM, MOSHEMIORVM, GESNERORVM, ERNESTIORVM atque aliorum, quae veterum illam vim et pulcritudinem ita expresse, ut, quum et illorum sapientia et nostrorum philosophorum praeceptis atque exemplis ornata fuerint, sperandum sit, si minus superaturos, at aequaturos tamen hos heroas, Graecos illos ac Romanos esse, quorum tempora magna litterarum luce, nostra vero multo maiori esse illustrata, verissime dicemus.

Sed de hoc fortassis non dubitas. At, futurum esse inter clarissimos viros nostros, qui hunc, ut videtur plerisque, vere scholasticum laborem in se, nullo laudis praemio proposito, suscipiat, desperas. Habes hic ipsam G\*\*\*. V. Cl. manum, tot monumentorum illam ac ornamentorum effectricem, dignamque, quam honorifico excipias osculo. Lege litteras ad me humanissime datas. Amicorum enim ex Graecorum proverbio, omnia esse communia debent. *De libellis, in quibus vitae clarorum hominum, et alia, literis, ingeniis, doctrinae, virtuti*



virtuti profutura dicendi genere, vel ipsorum veterum, vel illius aemulo, proponantur, olim cogitavi. Sed quoties cogitavi, eandem in illud tempus, si forte incideret, reieci, ubi vigente adhuc animo, corpus senio fatigatum, vel excoecatam, vel aurium usu destitutum, agere vitam profecturiam prohiberet. Sperabam enim futurum, sic affecto corpore, et in otio ita necessario illud negotium solatii instar futurum, nec minus bene, quin melius etiam, quam inter quotidianas turbas et veluti tumultus aliarum negarum esse processurum: tum si ille ultimus velut conatus esset et postumus, cum corpusculo hoc livore etiam sepulto, forte receptum iri cupidius. Haec vir ille πολυμαθέστατος, alterque saeculi nostri Plinius. Apud quem, si unquam vellem, ut publicae utilitatis ratio valeret, iam quidem cupe-rem maxime. Quid est enim, quod non expectare queamus ab eo ingenio, in quo rerum cum antiquissimarum, tum etiam recentiorum tanta inest copia, ut spirantem illud bibliothecam vere dixeris: secundum autem haec, ita suave, ita copiosum, itaque ad res graves condiciendas ornandasque factum, ut nihil possit fieri supra.

Sed unde digressa est mea disputatio, eo iam iterum revertatur. Dixi postremo de utilitate consilii, ad quam videlicet referenda in tam brevi vivendi curriculo sunt omnia. Quemadmodum vero ii, quibus longum iter brevissimo temporis spatio est emetiendum, duces viae, compendii causa addiscunt, ne videlicet, dum ipsi rectos trames pervestigant, tempus frustra quaerendo perdant: ita nescio qui fiat, ut quum in scholis vestris toties sapiens illud Senecae cantetis: *Longum iter est per praecepta, breve per exempla*, illud omnium vos minime festemini. Traduntur vobis publice pueriles mentes ad omne liberalis doctrinae virtutisque decus efformandae. Facitis id etiam pro virili persaepe vestra parte, et nescio, an non maiori molestia, quam utilitate. Multa enim vitae, plura vero scholae discere, ut aiunt, imprudentem aetatem cogitis, qui ad vitam sapienter feliciterque degendam quasi duces illi estis praefecti. Quod si enim ista per exempla docendi ratio ex reliquis omnibus et iucundissima et facilissima est, cur vos oneris omnis impatientes animos aetatis illius, nondum satis firmatae, mole praeceptorum opprimitis: cur non potius imaginum clarissimorum hominum et optimorum varietate, quae magna est, oculos ipsorum et animos, novarum rerum avidissimos, pascitis? Facimus id, inquires; at vero virtutis bellicae et militaris consilii pleraque sunt ista, quae in libellis vestris occurrunt, exempla: sunt quidem et

Progr. II.

B

alia



alia togatae probitatis simulacra, quae non possunt non iuvenes amare, atque etiam admirari: sed haec quidem rariora. Sunt enim plerique auctores vestri vere classici et bellici. Desiderant vero pueri nostri, in pace nati et nutriti pacataeque reipublicae olim inservicuri, mitiora virtutis praecepta, neque tam requirit salus civitatum nostrarum prodigia excelsi animi: Deciorum, Horatii, Calpurnii, Leonidae, Epaminondae, quam potius frugalis et urbanae virtutis specimina a Scipione, Tuberone, Atilio, Quint. Cincinnato aliisque edita. Requirit vero etiam majora. Quodsi enim scholae feminariae sunt quaedam reipublicae atque officinae, in quibus fingi oportet viros in eorum, qui quotidie de scena abeunt, locum sufficiens; palam est, prudentia rerum gerendarum atque morum probitate mature ista successentia ingenia esse imbuenda. Atqui vero si in his suos exspectat iterum Speneros, Frankios, Strykios, Heineccios, Hofmannos, Stahljos, Wolfios, utraque respublica, quid obstat, quo minus iuvenes vestros in haec optima et omnium praestantissima exempla intueri assidue jubetis? An forte hoc sapientiae et virtutis eorum pretium minuit, quod nostri sunt, quod in proximo posuit haec bonitatis suae et gratiae monumenta, DEI providentia, quodque vetustatis illa commendationem non habent? Scilicet!

Sed ne quid te, omnium arcanorum meorum arbitrum, celem, parum abest, quin vos impietatis, aut saltim ingratiissimi animi erga benefactorem O. M. insimulem. Alexandri et Caesaris bella ut unguis suos digitosque vestri, quot quot erectioris sunt indolis, tenent: Suetonii Caesares, et in his monstra etiam hominum, Caligulas, Nerones, Domitianos in singulis vitae actibus norunt, atque rogati, non deorum modo, sed hominum res gestas et fabulas accurate singulatum, narrabunt. Neque recte id et utiliter etiam, fieri negabo. Plenae enim sunt ipforum vitae eorum, quae vel sectanda vel fugienda sunt homini, qui decenter, fabulam suam peragere cupit, praeceptorum, expressis imaginibus; habentque hoc inprimis in sublimi loco posita exempla, ut maiori vi nos excitent atque percellant, quum vulgaria contra et trita parum nos moveant. Sed hoc unum, idemque gravissimum vitium vix ac ne vix quidem te excusaturum esse credo, quod Servatoris nostri, legatorum item ipsius atque aliorum sanctissimorum de hac familia hominum, res pro salute humani generis gloriosissime olim gestas, non latine explicetis, quum tamen ingenia non omnino

dc-



defint, qui has pulcherrimas vitas simplici et gravi dicendi genere, veterisque aemulo, decore explicare possint. Ita vero in nostram et communem utilitatem sacrosancta haec cum Romanis istis temperaremus, virtusque in his humanis rationibus excitata et nutrita, in illis vero divinis igniculis atque subsidiis accenderetur. Bone DEVS! quam multi egregii iuvenes unico LUTHERI exemplo ad transferendam a rebus externis in DEVM fiduciam excitarentur, eiusque exemplo docerentur, omnia esse pro divina gloria, pro CHRISTO et evangelica sapientia fortiter suscipienda? Quantum non iuaret, tenui fortuna instructos CHEMNITII exemplo ad bene sperandum suis studiis suisque rebus, impellere? Aut quis dubitet, adolescentium industriam mirifice, quasi igne subiecto, iri incensam, quod si in fumorum hominum, qui in iisdem Germaniae scholis formati sunt, vitis et vias, quas illi sequuti sunt, et constantes labores cognoscerent? Haec tamen omnia ita ignorantur a nostris iuvenibus, ut plerique non prius comperiant, quam ex academiis domum reversi, bibliothecam quidem colligant, at, gravioribus curis impediti, Graecorum suorum obliviscantur, nostrorum vero hominum vitas curare nequeant. Sed habet haec res tantum invidiae, quantum lucis atque utilitatis. Verum, iam causa est peroranda, nec in alios nova transferenda. Neque praeter haec, hoc non nullius usus, si quid ego video, esset futurum, planum facere explicandis nostrorum hominum libellis, qua arte veterum vim et copiam assequi, qui sedulo eniterentur, feliciter possint.

Sed restat, ut ab honestate atque etiam facilitate hoc meum, si quod est, consilium tibi commendem. Faciam vero illud, ne abutar patientia tua, binis, quod nostrae longissimis disputationibus suis praefari solent, mulierculae, verbis, neque harum loquacitatem imitatus, datam fidem fallam. Video enim, te diurnis laboribus paene esse exhaustum, auresque ex scholastico illo strepitu defessas, loquacitatem meam aegre ferre silentiumque postulare, ut suaviter acquiescere animus iterum possit. Nihil ergo de Stoicis iam dicam, qui omnia ex honestate metienda esse decernebant. Paucis philosophabor. Honestum est omne, quidquid cum officio est coniunctum. Iam vero, quid magis est in officio, quam bene meritos colere eorumque memoriam sancte ac religiose servare. Faciebant id nimirum Graeci ac Romani,



quorum ut quisque ingenio excellebat, ita hoc profuturum se eximie rei publicae putabat, quodsi maiorum virtutes et merita oratione polita et inprimis gravi posteris commendaret, tantorumque virorum memoriae aere perennius, quodque nulla temporis consumeret vetustas, monumentum statueret. Nos vero pudeat, qui, dum Romanorum bella et quae a singulis fere civibus domi acta sunt, pueris nostris a teneris curate explicamus, nostrorum heroum res gestas ignorari ab iis imprudenter sane patimur. Vereor autem, ne hoc non in homines tantum, sed quod multo gravius est crimen, in ipsam illam, summorum hominum effectricem, divinam providentiam iniqui ingratiue simus, quippe qui Miltiadis, Themistoclis et aliorum antiquissimis temporibus res in bello gestas illi aetati, quae felicissime et arripit tradita et tenacissime servat, inculcamus; Lutheri vero, a quo nimirum maxima accepimus beneficia, merita fere in scholis silemus. Quem putamus adeo parum curare litterarum fata, ut non interdum aveat scire, a quibus sint ad illam dignitatem in Europa perductae: aut quis non cum ingenti oblectatione legerit Mediceae gentis, Francisci, Alphonssi, Trithemii, Rudolphi Agricolae, Kranzii, Reuchlini, Erasmi, et multorum aliorum in bonas artes illustra merita? Horum autem vitae plenae sunt prudentiae et verae virtutis praeceptis. Recte quidem obiiciis, deesse nobis libellos, ex quibus latini sermonis copia ac magnas res, facili et decore dicendi, genere explicandi facultas una cum rebus comparari a pueris queat. Sed hoc ipsum est, quod tota hac disputatione maxime volo. Scilicet excitanda esse muneribus aliisque ornamentis excellentia ingenia, ut veterum more res nostras perscribere quantacumque possint, arte et contentione enitantur. Dulce omnium, dignum te desiderium! Idem vero vana ac inania, memini, te saepius hoc et alia consilia vocasse. Servabis igitur tibi haec et posteris, dum alia rerum series, melior fortassis hac, renascetur, quae quidem vicifitudo, ex Stoeae sententia tibi omnino exspectanda est; quae miras conversionum rerum omnium scenas et saepe horribiles, ob exustiones nimirum et eluviones, confinxit. Sed ego interim ERNESTIO gaudebo meo, qui nostram philosophandi rationem ita latine expressit, ut ipsum Tullium cum voluptate et admiratione felicissimum hunc suum aemulum lecturum existimem. Quod vero in Philosophia, quae tota fere ab illa veteri, dictione saltem, differt, felicissime successit, id multo facilius in vitis et rebus gestis enarrandis efficietur, siquidem eadem



mutatis tantum personis et scena, luditur fabula. Ut vero ita statuam, non modo rei natura efficit, sed ea etiam, quae hinc meis oculis vidi, exempla. Explicavit Moshemianum ingenium res Christianorum dicendi genere ita puro, antiquo, aequabili ac jucundo, ut nihil isti desit, quam antiquitatis commendatio. Quotiescumque vitam aliquam a Gesnero descriptam legi, non invidendos laudatis inter Romanos viris suos praecones censui, cum frequens eorum lectio et solers imitatio Nepotes, Plinius, Paterculos saeculo nostro reddiderit, aut certe aliquando redditura sit.

Quae quidem spes, quodsi, ut tu quidem vereris, me fefellerit non erit amplius, quod Britannis et Franco-Gallis, quibus ex luto pessimo efficta ingenia nostra videntur, respondeamus. Sunt enim inter nos, et latent maxime in umbris vestris, qui Ciceronem et reliquos aureae aetatis scriptores a capite ad calcem legant, et hac lectione perfecta toties eam repetant. dum extrema fata iubent, de melioribus solatiis sitienti et afflictæ menti, ex Evangelicis armariis prospicere. Hi ergo, qui omnem vitam omneque suum studium veteribus tribuerunt, neque tamen tantum ex iis profecerunt, ut imitari illorum dicendi genus, et artem ad nova transferre queant, viderint, qui illis sese fatis purgent, quibus oleum operamque perdidisse, non iniuria fortassis videbuntur. Nisi difficilior habeatur, Romanos exprimere, quam Anglos aut Gallos, quos tamen multi inter nos dicendi vi si minus superarunt, at tamen aequarunt.

Sed quoniam, cum de re quapiam deliberatio instituitur, etiam illud in censum maxime venire solet, num facilis illa sit, et quam paucis prematur difficultatibus: tum, si hoc unum esset, de quo in praesenti re quaereretur, certus paene de victoria sum. Nosti enim, quam impeditum iter sit ad lustranda veterum monumenta ituris, et quam multa sint tollenda, quae hunc cursum morantur. Quot enim, quaeso te, non undecunque sunt conquirenda adminicula, quot claves, quibus haec vel illa oclusa veterum instituta aperiantur? Iam ex Lipsio bella gerendi antiqua ratio prius est pueris discenda: pingendae iis machinae, testudines, arietes, tormenta, propugnacula. Lustrandus est Romanorum exercitus: ex castris in forum eundem, docendum, quis Consul, Praetor, Dictator, quique ceteri magistratus

-inon

B 3

fuerint,



fuerint. Ex foro in Pantheum ducendus puer. Hem! quantus fictorum hic numinum grex? quis nomina, quis epitheta sexcenta alia, quis facinora, quis munera deorum cujusque, memoriae ita mandabit, ut iussus ea iterum promere ex hoc tot aliis rebus referto penu, singula ordine queat. Quid de decemviris sacris faciundis, flaminibus, septemviris epulorum, faliis, lupercis, fratribus arvalibus; quid de vestibus, de conviviorum caerimoniis et de aliis nihilo gravioribus rebus fiet? Sed sunt alia maiora. Veterem historiam, regionum item et terrarum situs perspecta habeat, qui veterum descriptiones bellorum aliarumque gestarum rerum aliquantulum intelligere cupit. Quae, quum paucissimis nota sint, causa est dicta, quare tot cruces pueris in uno Caesare figantur. Adiectae sunt, ais, in commoda tironum, notae? Sed quales, amabo te: Minellianae? Cellarianae, quae rarae sunt et novis iterum notis illustrandae? Sed dabo regi inter pueros tuos illas Schrevelianas variorum notas. Incertior, mihi crede, multo erit quam ante. Iudicem enim iam debet agere, et ex ista silva fruges colligere. Quae dum cogito, nullum in scholis vestrum auctorem intelligi pronuntio, aut unquam intellectum iri confido. Sed haec nollem in diversam a mea mente partem raperes. Satis enim, quo haec omnia consilio dicta sint, te perspexisse spero. Dabis haec et alia, audacius dicta, insigni meo in amabilissimam omnium aetatem studio. Haec vero omnia, quae dixi, iis non superanda sunt impedimenta, qui res recentius in Germania aut vicinis illi terris gestas, tractant. Vides igitur consilio meo, aut si ita vis somnio, commoda magna esse adiuncta, neque abesse facilitatem efficiendi, modo absit invidia et obtrectatio, novitatis ista comes. Verum tibi dixi, homini cordato, aequo et mei inprimis amanti. Explicabis tamen, si ita videbitur, aliis, praesertim, quum de scholasticis rebus saepius tibi scribendum sit, ut inter aequos bonique publici amantes iudices haec tota res agatur. Mone vero illos iterum atque iterum, nihil esse, quod a me bonis litteris metuant. Nullum enim amiculo tuo, loquaciore interdum, vehementius ipsorum existimationi studere. Sed coniungenda videri nova cum antiquis, quemadmodum Bembii, Politiani, Mureti et Cunaei, copia ac suavitas dicendi cum Ciceroniano atque Pliniano flumine non sine insigni discipulorum utilitate in scholis hucusque fuit copulata. Quae quum dixisset, meque, quod moris est humanissimo homi-



homini, suaviter esset complexus, laetus ut solent victores, discessit.

Meum vero iam est, PATRONOS, EPHOROS atque FAVTORES rerum nostrarum, omni, qua par est, fierique a me potest, observantia etiam atque etiam rogare, ut, nisi graviora negotia impediant, dicturis aliquot primi ordinis alumnis benevolas commodare aures; haud graventur. Declamabunt videlicet pietatis causa cras D. B. I. hora II. in acroterio supremæ Gymnasii Classis, quorum nomina sequuntur:

FRIED. AVG. SCHNEIDER, *Embecc.* GLORIOSISSIMVM SERVATOREM, verum orbis terrarum Pacatorem, *Latine* demonstrabit.

CHRISTOPH. FRIED. REHWENDT, *Halensis*, sanctam illam ac heroicam Magorum peregrinationem *carm. germ.* canet,

Denique, suis et commilitonum verbis publice recolet grata mente memoriam OELHAFIANAM

CHRIST. LEBERECHE KLVGE, *Oberneseensis*, dicturus de veterum patronis civitatum, *Latino sermone.*

---

P. P. HALAE MAGDEB. A. D. VII. IAN. MDCCCLV.






Sancte servarunt veteres memoriam Osymanduae, Xerxis, Seleuci, Ptolemaeorum, Pauli Aemilii, Luculli, Caesaris et aliorum heroum, qui bibliothecas, vera illa ψυχῆς ἰατρειά, primi in urbibus exstruxerunt. Quare, et ego commodum hunc locum nactus, faciendum putavi, ut publice pietatem testarer erga PATRONOS et EVERGETAS, qui precibus meis, vel potius generoso bene merendi studio suo permoti, hanc, quam accedens ad provinciam, cui praefum, tenuem inveni literariam Gymnasii supellectilem, ducentis circiter libris liberalissime auxerunt.













JF 3373

ULB Halle 3  
002 188 97X




Sb.


V. 17 Ant.












10

QVAESTIONVM  
SCHOLASTICARVM  
PROBLEMA PRIMVM  
QVO  
ACTVM ORATORIVM

A. D. VIII. IANVAR. A. O. R. S. d**b**ccclv.  
IN AVDITORIO  
CLASSIS PRIMAE GYMNAS. HAL.  
CELEBRANDVM  
RITE INDICIT  
M. IOANNES PETRVS MILLER  
GYMNAS. RECT. ET SOCIET. DVC. HELMST. MEMBR. HONOR.



al.

HALAE SAXONVM  
AERE GEBAVERIANO.